



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 62. Hierosolymitani Patriarchæ sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

tio imponeretur, summi Pontifices (*) præpedirentur, ne illos ab Ecclesiis suis sejungere, atque ad exercenda supremi in Ecclesia Magistratus munia, aliaque Curia suæ officia assumere possent, quin potius pro officii sui munere ipsimet Episcopos juxta Sacrorum Canonum præcepta ad residendum poenis, ac censuris compellere tenerentur. Alii ex adverso arbitrabantur, supervacaneum esse ejusmodi examen, cum nullo modo, sive hæc residendi lex divini, vel Ecclesiastici juris sit, dubitari valeat, eam esse præceptam, atque oppido necessariam, proinde deliberandum potius de ratione, qua observetur præceptum, quam unde illius origo descendat.

§. LXII.

Hierosolymitani Patriarchæ sententia.

Hæc eadem quæstio acrius adhuc agi- *Sarpus*
tabatur in primo conventu gene- *p. 469.*
rali die septima Aprilis post Paschatis
festa celebrato, in quo Patrum nonnulli
hac super re adeo prolixè differebant,
ut ceteris nonnisi exiguum suam men-
tem declarandi spatium relinqueretur:

Hh 3

inter

(*) *Utpote*, addit Pallavicinus, ex quo
Continuator hæc deprompsit, *divini juris exe-*
cutores supremi.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul XVI.
A. C. 1562.

inter alios vero, præcipue Jerosolymitanus Patriarcha præprimis hæc protulit: „hic articulus, in quo de quæstione „circa residentiam agitur, jam in prima „hujus Concilii sub Paulo III. indicti celebratione fuit agitatus, ubi etiam conclusum fuit, quod ad residentiam stabilendam duo requirantur, atque in „primis pœnæ adversus non residentes „denuntientur, & dein removeantur ea, „quæ residentiam impediunt: circa pœnas quidem adeo abunde provisum fuit „in Sessione nona, ut nihil addi possit; „mulcta enim pecuniarum gravissima „imponeretur, absentesque dimidia parte „fructuum unius anni coercebantur, quæ „pœna gravior excogitari non potest, „nisi Episcopus velit esse mendicos, nec „gravior sine temeritatis nota infligi „posset, etiamsi insignis contumacia vindicaretur, nisi forte omnino injungeretur privatio, quæ cum executioni „sit mandanda, neque alius a Pontifice eam exequi sit idoneus, cum vetus Ecclesiæ mos causarum Episcopaliū censuram Apostolicæ sedis cognitioni reservavit: hinc ea Sessione „Patres in Pontificem conjecerunt curam omnem remedii adinveniendi, vel „alios pro Ecclesiis Pastores constituendi, „vel providendi alia ratione, vi cujus „Metropolitanus adstringeretur, ut
de

de Suffraganeorum absentia Pontificem
 certiore reddat: ceterum de altero
 etiam remedio agi cœptum, compluri-
 ribusque decretis, tam in ea Sessione,
 quam in aliis, permultas exemptiones,
 atque immunitates, quæ Episcopos in
 suo munere præpediebant, sublatae
 sunt, hinc id in præsens superest, ut in
 reliquis exemptionibus tollendis con-
 stanter pergatur, Patribus aliquot, prout
 hucusque factum, selectis, qui colli-
 gant in unum impedimenta, postmo-
 dum tollenda, ut iis in congregatione
 propositis prospiciatur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

§. LXIII.

*Archiepiscopi Granatensis opinio circa
 eundem articulum.*

Hunc Præsulem excipiebat Granaten-
 sis Archiepiscopus, qui ita effatus
 est: „jam Pauli III. ætate propositum
 fuit remedium maxime efficax, atque
 in id collimans, ut residentia præce-
 ptum ex jure divino descendere de-
 clararetur: qua de re integris etiam
 decem mensibus actum fuit, quinimo
 hic articulus utpote necessarius, atque
 inter capita doctrinae Ecclesiasticae pri-
 marius, haud dubie determinandus
 fuisset, nisi Synodi ejus progressum a-
 liquid interrupisset, nec minus quæ-
 stio fuisset discussa, & rationes addu-

Pallav. l. c.
 n. 4.
 Sarp. l. 6.